



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. De Melchiore Hofmanno, magni inter Anabaptistas nominis &
auctoritatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quatuor millibus discipulis comitatus Argentorato discederet, in p̄dore & squallore carceris fuit extinctus. (a) Complures alij ab eodem spiritu promissiones acceperant, vltimum supplicium effugituros; qui tamen ferro & igne passim sunt absumti. Feminae cuidam Basileae captiuae idem spiritus persuaserat, sine cibo & potu miraculosè victuram: sed post nouem dierum inediam, decimo mortua est. Millies Anabaptistae extremi iudicij diem p̄dixerunt, ac Christi velut iam aperto caelorum fornice egressum parantis, aduentum maxima deuotione expectarunt; Solem tamen consueto cursu abeuntem & redeuntem haecenus viderunt. Ex ijs Propheta aliquis suorum auditorum animis hanc persuasionem ita impressit, vt vni tantum lineamini incubantes, totam noctem in rupium cauernis exegerint, Christi que aduentum expectarint, albo illo colore innocentiam suam testantes, ac miserabili voce & suspirijs Dei misericordiam implorantes: verum vbi deceptos se viderunt, non sine pudore ad suos quique lares reuersi sunt. (b) Sed age, faceta de eodem spiritu narrationem adiungam, vt lectori fastidium è continua historia paululum detergatur.

VI. Mulier quaedam Anabaptistica, excucullatimonachi, eandem religionem profitebris vxor, cum marito in summa paupertate vivebat, sic vt ad victum saepe panis etiam deesset. Nocte quadam spiritus ei reuelat, ac iubet vt vicinas ac socias epulo excipiat, pollicitus nihil rerum necessariarum defuturum. Illa dicto audiens, mane omnes quotquot nouerat, inuitat. Huius conuiuij fama quum percrebuisset, plerique quibus feminae paupertas nota erat, mirari, vnde illi ad eam rem sumtus; neque tamen quisquam quidquam suspicari, quod bonae illa haecenus existimationis fuisset, vt quae in ceteris eorum Biblia nonnunquam ipsis p̄legeret. Accurrente magna hominum multitudine, vt & conuiuij apparatus & exitum viderent, iubet illa mensas sterni, & conuiuarum suo quemque pro dignitate aut ætate loco considerare. interim vero in tota domo nec fumus nec flamma conspiciebatur. Omnibus iam prima ferula expectantibus, ac quum nihil adferretur, mutuo se respicientibus, illa constanti vultu circumiens rogat, vt paulisper adhuc expectare sustineant. Breui Angelos adfuturos, & omnium ciborum admirabilem copiam allaturos. Hoc enim miraculum p̄terita nocte à S. spiritu, qui mentiri non possit, sibi reuelatum esse. Moram vero hanc

interponi, ad tentandam ipsorum patientiam & fidem. Interim illa oculis ac manibus ad caelum eleuatis, multis editis suspirijs & gemitibus, vt olim Baalitici illi sacerdotes, Deum obsecrare non cessabat, dicens: Mitte nobis, Pater, de caelo panem, quibus multo maiora, nempe vitam promissisti. Sed hoc mortuo erat n̄eniam cantare. Appetente ergo iam nocte, fames conuiuas domum suam quemque discedere, & ibi latranti stomacho p̄lentius remedium quærere coegit, multo turpius deceptos, quam illi quos Heliogabalus inuitauit, eisque p̄ter panes, fructus, ac cibos pictos nihil apposuit, quibus si non stomachus, oculi tamen aliquo modo fuere recreari. Sic ergo bona illa à S. spiritu omnium risui exposita, vt stultitiae, ita ludibrij quoque; vicinas suas socias sibi asciuit.

DE INEPTIS QVIBVSDAM ANABAPTISTARUM CONSVETVDINIBVS, IN S. SCRIPTURA, VT IPSI AIUNT, FUNDATIS.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

- I. De Melchiore Hofmanno, magni inter Anabaptistas nominis & auctoritatis.
- II. De alio Propheta ipsius successore: & de Anabaptistarum simplicitate.
- III. Anabaptistae arma non ferunt.
- IV. Iurandum illicitum esse contendunt, & imagines detestantur.

I. INTER eos qui Anabaptisticam sectam longe lateque propagarunt, non postremum locum obtinet Melchior quidam Hofmannus, qui & propriae seu specialis inter eos, & vt ita dicam subalternae sectae nomen dedit. Hic Embdam profectus, propalam, Comite qui Lutheranus erat, conuiuente, Anabaptismum plantauit, & quam plurimos rebaptizauit. Fuit vero, (vt Vbbo Philippi scribit, (d) qui eiusdem sectae doctor fuit, & postea respuit) homo vehemens, & ex prompta facundia p̄dicitus. Contra Lutherum & Zuinglium multa

O 2

acerbe

a Blesdich. lib. de secta David. Georg. b Gast. fol. 130
Crus p. 3 Chron. Suen an. 30. c lib. Recog. fol. 3. Modest.
de aut. Anab. fol. 78. f. 1.

acerbe scripsit. Edidit etiam Commentarios in Apocalypsin, quibus multa mirabilia atque ab omni ratione aliena continentur; nec non figuras Moysi Tabernaculi, & Mysteria Incarnationis. Idem Ubbo Deum testatur, quamvis Lutherus vehementer & tumultuosus fuerit, Hofmannum tamen hac in re longe illo superiorem fuisse; eisque exemplum se aliosque collegas sequutos, contra Lutheranos, Zuinglianos & Papistas, non minus quam contra omnes diabolos, detonare ac fulminare solitos. Eidem Hofmanno in Frisia Orientali doctrinam suam spargenti, senex quidam apparuisse dicitur, Helix Prophetae specie, ut discipuli ejus narrant, (a) eumque ita esse alloquutus: *Melchior, ab eo qui creavit coelum ac terram, ad te missus, tibi que mandare iussus sum, ut Argentoratum, quae nova est instar Hierosolyma, proficiscaris, ibique Verbum Dei annuncies, & populum rebaptizes. In vincula quidem tibi conicietis, verum sexto post mense cum triumpho inde liberatus discedes, centum & quadraginta quatuor discipulorum millibus comitatus.* Melchior vaticinio huic ceu oraculo fidens, itineri se dat, & Anno M D XXXII. Argentoratum profectus, contra Lutheranos Praedicantes publicam disputationem suscipit, in primis de Paedopapismo, quem Sarhanæ inventum appellabat. (b) Quum non multo post magistratus iussu custodia daretur, nihil teritus, sed lætus potius: *Hic, inquit, dies ad triumphum mihi à Deo promissum, viam mihi sternet.* Ex carcere discipulos quos in Frisia habebat, frequenter est consolatus, (c) & per litteras in suum locum substituit quendam Joannem Tripenmacher nomine, qui Amsterodami sectam suam valde amplificavit (ubi etiamnum illa maxime viget) ac tandem Hagam Comitibus abductus, sanguine eandem obsignavit, igni exustus. Melchior vero frustra expectata Helix ope, in carceris squallore obiit.

III. Dum in carcere attinetur Hofmannus, in eadem urbe novus quidam propheta exstitit, Leonardus nomine, qui suas visiones editis libris publicavit. Usus hic fuit ope de arum sagarum seu divinatricum, quarum una Ursula dicta, uxor erat ejusdem Leonardi prophetastris; (d) altera Barbara nominabatur. Hæ sæpenumero mirabiles prophetias visionesque socijs detegebant, eoque humanas mentes vanis futurarum rerum praesagijs rapiabant, ut ipsum Melchiorem sumpta à cygno parabola, Verum Eliam; alium utpote Cornelium Holtermannum Enochum esse miro quodam astu

permultis à Dæmone seductæ persuaserint. Quos demum ceu luminaria duo magna post medium annum Argentorato cum centum & quadraginta quatuor millibus Praedicatorum, Apostolorum & nunciatorum Dei in signis virtutibus ac miraculis multis prodituros praedicabant. (e) Deplorat hoc loco suprascriptus Ubbo simplicitatem ac cæcitate nostram, qui eiusmodi artibus circumveniri nos patiamur: atque se quosdam ex hypocritis illis, Hofmanni discipulis diu apud se habuisse, qui doctrinam illius, scientiam & pietatem ad caelum usque laudibus extulerint, atque Anabaptistarum religionem, ob summam quæ ibi ferveat, Charitatem summopere commendatint. *Docent enim, omnes iniurias sine murmure perferendas, nec defensionem licitam esse, sed secundum Evangelium omnia propter Dei honorem sustinenda, bonum pro malo reddendum, inimicis beneficiendum, ei qui nos in dexteram maxillam percussit, praebendam & alteram, &c.* (f) At non animadvertunt, Salvatore duplicem protulisse doctrinam, unam praecipientem alteram consulentem solum, & locis in Matthæi 5. 6. ac 7. capite allegatis, utramque misceri, iudicio Ecclesiae discernendam, siquidem ea omnia ibi ad Apostolos loquitur & alios, qui Christianam perfectionem ut illi amplecteri erant, & quorum arma, verba, & praesidium humilitas futura erant. Quæsi vi ego aliquando ex horum aliquo, An iniuria affecti, nullam plane animi sentirent perturbationem? Tum ille, *Immo, inquit (nam & nos caro & ossa sumus sicut vos) sed Spiritus Dei statim adest, ac patientiam animis nostris inspirat.* Nec dici potest, post motum illum Monasteriensem, quo tempore illi in nostra religione nondum perfecte erant instructi, quemquam fratrem Christianum ab ullo nostrum percussum, laesum aut occisum esse. Et hinc docent illi, non licere Christianis uti gladio, Christus, inquiunt, S. Petrum propterea reprehendit, ac divinam hanc sententiam pronuntiavit: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Et hæc quidem etiam una fuit ex Lutheri propositionibus et si is more & privilegio suo usus eam sæpe mutavit, verbo, calidum frigidumque pro tempore spirans. Facit huc sequens historiola. Quum anno M D XLIII Anabaptista quidam in iudicio accusaretur, qui inter alia illicitum esse armorum usum, nec

a Bleesdick de secta David Georg. in princ. b Bulling. lib. 2. cap. 13. fol. 57. c Vbbo lib. Recog. fol. 4. d Vbbo ibid. fol. 7 & 8. e Modest. fol. 79. fol. 11. Bleesdick ibid. in principio. f Matthæi 5. & 6.